S. pl. Doleo profectò; Reverende, et Doctissime Vir, Frater in Christo plurimùm co-
lende, amande; Tuis à me hactenus non esse satisfactum postulatis. Importuna singu-
nostri studia nos totos egere transversos. Nunc excessit. Lis adhuc pendet. Decisio-
nem exspectamus. [illegible] non quidem ut im-
pias ejus amplecterentur opiniones, sed ut homini faverent ex fraudibus et imposturis
conflato. Omnes errores, quibus apud Vos erat infectus, apud nos infelix homo re-
cepit, et fortè etiam plures. Quoties gravissimum considero juramentum, quo se
apud Vos obstrinxit, et foedissimam ejus violationem mecum reputo: toties metuo,
ne εἰς ἀδόκιμον νοῦν sit traditus. De Anhornio quid scribam, nescio. Rumor est,
ejus deprecationem merè fuisse conditionatem. Siquidem Ministerium scripto hoc me
laesi, veniam precor, etc. Quid sit, Tu optimè nosti. Tabellam aeneam, quam Am-
plissimum Magistratum Vestrum misisse intelligo, noster mihi exhibuit typographus,
ea tamen conditione, ne Vobis exhibeatur priùs, quàm sibi ab Anhornio satisfactum
esse audiam. Quoniam igitur eandem adhucdum desideratis, operam dabitis,
ut per typographum eam mittere liceat. Ad Constitutiones nostras Matrimonia-
les quod attinet, nescio, quid promittere audeam. Omnem movebo lapidem, ut voti
tui fias particeps. D.N. de Losea novi. Animal est [illegible]. C. D. Hottin-
gerus noster rediit. Veteres simultates deposuisse videtur. Nuper cum eo Scaphu-
sium excurri. Novam, operâ ejus et aliorum, schola nostra induet faciem. Logi-
cae etiam, de qua Tecum nuper, habebitur ratio. Jam ante annum, me maximè
rem urgente, nova Classibus nostris assignata fuere pensa, ad captum tyronum
accommodatissima, et cum majori profectu conjuncta. Nunc demum eorum, post
factum periculum, à supremis Scholarchis obtinebimus Confirmationem. Si votis
respondeat eventus, celebre reddetur Gymnasium nostrum, et in ipsis etiam Stu-
diis Theologicis peregrinos alliciet studiosos. Quod faxit Deus! Dictionarii Fri-
siani editionem novam tibi, εἰς μνημόσυνον τῆς [illegible] φιλίας [illegible], con-
secratam à me accipies. Si inter domesticos quis eandem expetit, mone: accipiet
et ipse proximè à Schaffelbergero, à quo Lacrymas Davidis, et Grammat. misto Grae-
cam. Mejeri Doctissimi Stad. Cur. apud ipsum in albo non prostat. Si com-
pactum non respuas, non deero. Atque hisce ad ultimas tuas [illegible] sa-
tisfactum confido. Paucis multa, ne sim molestus. Vale, cum [illegible]dis
D.N.ris Collegis, felicissimè. Joh. Henricus Wetsterius domum profectus. Frater
ejus longè tractabilior. Deus ipsi meliorem mentem! Iterum vale.
Dabam Tiguri, 23. Novemb. 1661.

Clarissimi Nominis Tui

studiosissimus

Joh. Casparus Suicerus.

[illegible] venena vomis.

S. pl. Extorsistis tandem; Reverende et Doctissime Vir, Frater in Christo plurimum colende, amande; quod tantopere desideràstis. Ipse deinceps quoque, procul dubio, in scenam ab homine isto producendus. Contra me quoque virulentum stringet calamum. Patronis ergo et defensoribus opus erit. Se à me proditum queritabitur. Haec omnia futura praevideo, et plura etiam. Si displicuit scriptum, inquiet, cur non me ipsum monuisti? Si indignus luce fuerit, cur non ad parentem suum rediit? Cur iis traditus, quos mihi infensos esse, probè novisti? Vix aliud video effugium, quàm ut dicam, me non ignoràsse, Civi Sangallensi integrum non esse, quidquam, inscio illius loci Ministerio, in lucem edere: atque hanc ob caussam, me illius Censurae hoc scriptum tradidisse. Tabellarius Vester Antistitem nostrum non vidit: ab Urbe enim abest. Res prius cum Amplissimo Consule communicata fuit, cujus animum vix ullis expugnare licuit rationibus. Is etiam est, qui, periculi vitandi caussâ, ad Amplissimum Magistratum Vestrum responsum dissuasit. Ejus ergo consilio standum ratus, nihil rescripsi. Silentium igitur meum excusabis, ne illi, quos veneror, se à me neglectos esse putent, multò minus conquerantur. Aveo proximè scire, quid de toto scripto judicetis. Illud imprimis etiam atque etiam rogo, ut, quantum quidem fieri potest, caveatis, ne mea παῤῥησία, et erga Vos sinceritas mihi fraudi sit. Quod fortè fiet, siquidem affirmetis, me in meis ad te hoc unum monuisse, Authorem tractatum Germ. Censurae nostrae commisisse: hinc Vos, utpote de Ecclesiae Vestrae tranquillitate sollicitos, eundem lustrare voluisse. Communicationem scripti me semel atque iterum denegàsse, unde facilè colligere licuerit, ejusmodi illud esse, quod turbas excitaturum sit. Atque hanc unam fuisse caussam, cur tandem nomine publico etiam invito scriptum istud extorquendum putaveritis. C. D. D. Wetstenius meum subiit hesterna die textum; [illegible] retineatur, ad [illegible] sequenti die Lunae, ni precibus nostris retineatur, [illegible]. [illegible] ut nuper promisi, viva esse epistola: at eo iter istud suscipere constanter detrectante, evadere non possum. Morellius Auditorio valedicere, et intra privatos tantùm parietes studia prosequi cogitat. De hoc ipsius proposito Venerandus ipsius Parens in ultimis ad me. Otium quaerit. Rationibus, ut spero, solidis hunc Parenti conatum dissuadebo: ut idem facias, rogo. Abrumpere cogor: urget gratissimus Hospes, qui plurimâ te salute impertit, sui, ùtque tibi deinceps quoque quàm commendatissimum esse percupit. Vale felicissimè. Saluta Venerandos D.os Collegas. Tiguri, 14. Sept. 1661.

C. Nominis Tui

studiosissimus cultor

Joh. Casparus Suicerus.